

PASCHALIS MARIPETRVS

D V X L X V.

*Electus die 30. Octobris Anno 1457. obiit die 6. Maii
Anno 1462. ætatis 77.*

MONIMENTVM ANTIQVVM.

Me Duce Pax Patriæ data est, & tempora fausta.

LXVI



DVcatum præfatis Marco Foscaro defuncti Principis fratre, Christophoro Mauro, Paulo Throno, Paschalis Maripetrus ex D. Marci Procuratore Dux creatur. Postquam æquè clarus togâ, & sago, Orator Reipublicæ duos adorasset Romanos Pontifices Nicolaum V. & Callixtum III. Legatus in castris adversus Infubres juratâ pace, tunc domi sederet inter Sapientes. Vnus iste & solus, qui post abrogatam filiorum successionem, Princeps Principem comitaretur ad sepulchrum. Sanum in eo ingenium, nihil ficti habens vel simulati, pacis studiosus, religionis zelantissimus cultor, scelerum insectator acerrimus, pacem à Foscaro Principe quasi per manus acceptam, nec domi nec foris violatam tradidit successoribus.